

que edita pugna cecidit: Peucestas quoque tribus jaculis confossus non se tamen scuto, sed regem tuebatur: Leonatus dum avidè ruentes barbaros submovet, cervice graviter icta semianimis procubuit antè regis pedes. Jam et Peucestas vulneribus fatigatus submiserat clypeum; in Aristono spes ultima haerebat; hic quoque graviter saucius tantam vim hostium ultra sustinere non poterat. Inter haec ad Macedonas regem cecidisse fama perlata est. Terruisset alios, quod illos incitavit: namque periculi omnis immemores dolabris perfringere murum; et qua moliti erant aditum, irrupere in urbem, Indosque plures fugientes, quam congregi ausos ceciderunt. Non senibus, non feminis, non infantibus parcitur; quisquis occurrerat, ab illo vulneratum regem esse credebant; tandemque internecone hostium justae irae parentatum est. *Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae adfuisse, auctor est Clitarchus, et Timagenes.* Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, *adfuisse se, missum in expeditionem,* memoriae tradidit. Tanta componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel par huic vitium, credulitas! Rege in tabernaculum relato, medici lignum hastae corpori infixum, ita ne spiculum moveretur, abscindunt; corpore deinde nudato animadvertunt hamos inesse telo; nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quam ut secando vulnus auferent. Ceterum ne secantes profluvium sanguinis occuparet, verebantur; quippe ingens telum adactum erat, et penetrasse in viscera videbatur. Critobulus, inter medicos artis eximiae, sed in tanto periculo territus, manus admoveere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret eventus. Lachrymantem eum ac metuentem, et sollicitudine propemodum exsanguem rex conspexerat. *Quid, inquit, quodve tempus exspectas, et non quamprimum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times ne reus sis, quum insanabile vulnus acceperim?* At Critobulus tandem vel finito, vel dis-